IEPHTE
SACRVM MELODRAMMA
RYTHMOMETRVM.

DECANTANDVM

In Oratorio Archiconfraternitatis

SANCTISS. CRVCIFIXI

AVCTORE

IO: ANTONIO CANONICO MAGNANI

HIPPOLYTI FILIO.

Musicis verò accomodatum modulis

A D. CINTHYO VINCHIONI VITERBIENSI.

Feria vj. post quartam Dominicam Quadragesimæ.



ROMÆ, MDCCIII.

Ex Typographia Ioannis Francisci Buagni.

Superiorum permissu.

INTERLOQVTORES.

Iephte.

Nuncius Principalis Galaad.

Alter Nuncius.

Filia Iephte.

De Libro Iudicum Cap. XI.

FVit illo in tempore Iephte Galaadites vir fortissimus, atque pugnator filius Mulieris meretricis, qui natus est de Galaad, eiecerunt Iephte dicentes: Hæres in domo Patris nostri esse non poteris, quia de adultera Matre natus es. Ille fugiens, habitauit in terra Tob; congregatique sunt ad eum viri inopes, & latrocinantes, & quasi Principem sequebantur. In illis diebus pugnabant Filij Ammon contra Israel, quibus acritèr instantibus perrexerunt maiores natu de Galaad, ut tollerent in auxilium sui Iephte de terra Tob; dixeruntque ad eam: Veni, & esto Princeps noster, & pugna contra filios Ammon. Sisque Dux omnium, qui habitant in Galaad. Iephte quoque dixit eis: Nonnè vos estis, qui odistis me, & eiecistis de domo Patris mei, & nunc venistis ad me, necessitate compulsi? Dixeruntque Principes Galaad ante Iephte: Ob hanc igitur causam nunc ad te venimus, vt proficiscaris nobiscum, & pugnes contra filios Ammon, sisque Dux omnium, qui habitant Galaad. Iephte quoque dixit eis: Si verè venistis ad me, ut pugnem pro vobis contrà filios Ammon, tradideritque eos Dominus in manus meas, ego ero vester Princeps? qui responderunt: Promissa faciemus. Abijt itaque Iephte cum Principibus Galaad, fecitque eum omnis populus Principem sui. Locutusque est Iephte omnes sermones suos coram Domino in Maspha. Et misit nuntios ad Regem filiorum Ammon, qui ex persona sua dicerent: Quid mihi, & tibi est, quia venisti contra me, & vastares

terram meam? Quibus ille respondit: Quia tulit Israel terram meam, quando ascendit de Ægypto à finibus Arnon, vsque Aboc, atque Iordanem. Per quos rursùm mandauit Iephte, & Imperauit eis, vt dicerent Regi Ammon. Hæc dicit Iephte. Non tulit Israel terram Moab, nec terram filiorum Ammon; sed quando de Ægypto conscenderunt, ambulauit per solitudinem vsque ad Mare Rubrum, & venit in Cades. Factus est ergo super Iephte Spiritus Domini, & circumiens Galaad, & Manaße: Maspha quoque Galaad, & transiens ad filios Ammon, votum vouit Domino dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit reuertenti, eum Holocaustum offeram Domino. Transiuitque Iephte ad filios Ammon, vt pugnaret contra eos, quos tradidit Dominus in manus eius, & percussit plaga magna nimis. Reuertenti autem Iephte in domum suam, occurrit ei unigenita Filia sua; qua visa, scidit vestimenta sua, & ait; Heu me, filia mi, decepisti me, & ipsa decepta es: Aperui os meum ad Dominum, & aliud facere non potero, cui illa respondit: Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcumque pollicitus es. Hoc solum mi præsta, quod deprecor; Dimitte me, vt duobus mensibus circumeam Montes, & plangam cum sodalibus meis, cui ille respondit. Vade &c.

PARS

PARS PRIMA.

Iephte. Enitricis illicitæ ob errorem
(Cui debeo tamen vitæ
Munus) Galaadite
Lares, extorrem pellunt
Pedem Iephte infelicis;
Et ab Auorum solo
(Iure, ni potiùs dolo)
Iephte innocentiam, Rei Dymnastæ euellunt.
Patriæ vallis, cui Puer, nutanti
Gressu, pictos turbaui iam flores,
Iephte misero, Iephte vaganti
Minue quæso memoria dolores.
Irrequieti fontes;
Qui per Ima, per Montes
Crystallum vestram ducitis serpentem;
Sicut multæ infantili
Aridam, siti meæ, rugam soluistis;
Spumarum ita murmure subtili
Iephte Iephte lugentem
Exulem, vestra defleat vnda tristis.
„ A suspirij aura, motæ
„ Siluæ, sonate mei sæuum mœrorem
„ Mei dicite dolorem.
O Luscinia, quæ imagine cantus

 In-

Induis plantus
In tua Nemorum domo virenti,
Mœstas voces
Meas veloces,
Patriæ nido tu mitte inclementi.

Prin. Nun. A perduelli copia
Vastantium perditorum, & inopia
Cinctus, quid Iephte, in Agro Tob, quid agis?
Ammon filii, nos, belli obruunt plagis,
Venias; & Princeps esto
Nostri, & Galaad mœsto
Cœtui, repara fatum.
Ab Exercituum Deo, hoc tibi est datum.
Plorant Nurus, flent Ancillæ,
Lugent Cunæ, senes gemunt;
Ac tot lacrymis, quæ præmunt,
Tot sufficiunt vix pupillæ.
„ Moyses ipse, cui Patrum
„ Genus cœtum nostrorum
„ Stetit contra; illos miti
„ Respexit tandem cilio;
„ Tonitru ingens, atrum
„ Belli, & virus Castrorum
„ Videant hostes inuiti
„ A Galaad ruptum filio:
Te Imperatorem, leges
Clamant, & pastæ Annonæ, & rapti Greges.
Errans pecus miles angit,

Inops

Inops eſt ariſtæ ſulcūs;
Viduus undè Paſtor plangit,
Vndè eiulat Bubulcus.

Num. Al. Veh nobis; Te ſi remorat vetuſtum
Vlcus offenſæ. Patria, Ciues, cuncta
Sunt ſine te ſeiuncta;
Publica res erit (hei miſeri) ſine nomine buſtum.
Vndequaque baccantur rapaces
Hoſtium faces;
Furta ſpicæ
Deſperant formicæ;
Lupos mallent Armenta voraces.

Iephte. Mihi ne, qui alieni,
Erroris, pœnam dedi
Modò dicitis veni?
Dicitis redi? Redi?
Vos, illi non fuiſtis,
Qui è domo Patris ſui, Iephte eieciſtis?
Illegitimæ ſortis
Nota ſignaſtis mè; modò ſum fortis,
Qui legitimis rem ſubſtineam? Patria
Tamen amorem ſuſcitat. Seruabo
Ciues; Agrum firmabo;
Vltioni credant meæ, Palilia, & Atria:
A Ciue inducta, altum iniuria, acorem
Expuat antiquum; Et miretur ille
Dulciori ardentem lenitate amorem.
Lympha quandò craſſat Mare

 Fiunt

Fiunt amaræ,
Quas eiecit patrius mons,
At dulciores, & iucundæ
Redeunt vndæ,
Ad hoc ferueat melior fons.
Denique priùs, quàm Cœlum frangant Astra.
Commilitones (eia) ad castra, ad castra.

Nun. Al. Epphrænum sistam Vrbis
Timorem, nuncio comitatis tantæ
Iephte, qua polles.

Iepthe. Vade;
Foue Popellum foue
Spe desperata, & exul brachium, illi
Certius promitte meum,
Et pro robore ipsius commoueat Deum.

Prin. Nun. Trepida pete, nostra
Mecum, tentoria; vt eis
Animos indè inspires,
Et manu spargas imperante vires.
Dum tua, Iephte, adest vis
Nos non terret copia hostilis;
Si nobiscum tua virilis
Pugnat dextra, victa est lis.

Iephte. Nostri victoria non sit virtus teli,
Vincet si iactum sit ab arcu Cœli.

Nun. Prin. Iephte vi rumpantur Castra
Hostem secet larga mors.

Iephte. Non mea vis, non fatua sors,

Hoſtem verò vincant aſtra.

Nun. Prin. Deus nos iuuabit fors.

Iephte. Deus vos iuuabit fors.

Nun. Al. Greſſui, ciuium amor
Suppeditauit alas:
Iephte exercitus Ducem
Eſſe, volucri fero
Nuncio, ſolumque Cœli ergo Motorem,
Cunctos orare iubet;
Vt videatis eum inde victorem.
A pruina
Matutina
Tumens patet lœtus flos;
Ita Orantum, eius gloriam,
Et ipſius nutrit victoriam,
Lachrymarum etiam Ros.

Filia Iephte. Non anceps bullit rumor,
Qui loquitur armorum Ducem eſſe
Patrem; Nobilis rumor
Noſtro inſidet cordi, & non abeſſe
Prorsùs victoriam ſpero:
Fœlici Patre ego fœlicior ero.
O fletus riſum ſimula,
Qui modo dulcis es;
In iſta mea lachrymula
Itidem facit ſpes.
Iridem facit ſpes; quæ dubium ſecat
Timoris nimbum, & ſerenat animos

Filiæ,

Filiæ, dum iacit Pater eius fulmina.
In hoſtes; monſtrant mihi hæ Turrium culmina.
Quod ſpero monſtrant ſaltem, & arridet
Cordi, illa ſpes, quæ inuiſibilia videt.
„ Fallitur is, qui amorem
„ Cœcum dixiſſe valuit; Nam amoris
„ Lumine, video reditum victoris.
„ Decrit parum, quòd ipſe redibit,
Floribus irretita,
Canticis redimita
Filia ſuo Genitori ergo obuiam ibit.
O ſuperbia agrorum olens
Dubios, Roſa, Botros frange,
Crines ita filia colens
Para metrum, hymnos pange.

Primæ Partis terminus.

PARS

PARS SECVNDA.

Iephte. Egnis nox, papauere cincta
Nigrum iter obscura peregit;
Ostris modò Aurora reuincta
Rosas, crocos suo crini selegit.
Phalangis frons hostilis
Est iuxta nos; videte
Prout territus, vilis
Pallor eam pingat. O meæ copiæ lœtæ;
Imò ut victoriæ altior sit fides; Deo
Vestro rectori, & meo
Si nostrum Ammon filios bellum ferit
Immolaturum iuro
Quidquid è domo mea prius obuiam erit.
Nun. Prin. Robur æstuat, virtus ridet,
Nobis instat alta spes:
Qui sub te non gloriam sperat;
Multa dico: Iephte ès.
Israel rapuisse
Terram Arnon, & Ieboc à Iordanis
Ora, verbis accusat Ammon vanis,
Tunc quando Israel ascendit ab Ægypto
Heremus, pede scripto
Iter populi dicit;
Solitudinem dùm ipse secauit,
Et rubri spacium Maris usque vicit;

Vndè

Vndè in Cades sub pellibus Hyemauit:
Al. Nun. Conuicium, & simultas
Stat impio pro ratione,
Inuidiasque multas
Disceptent impii in militari Agone;
Et incassum pietatem in eo vocitent.
Omnes. Tympana rugiant,
Et Tubæ crocitent;
Obstrepant Classica.
Tibiæ mugiant,
Hostesque fugiant.
Iephte. O Classes iratæ
In cunctas has gentes
Sœuite furentes
Nullumque seruate.
Simphonia Bellica.
Nun. Prin. Ferueat Iephte tuus nunc ingens animus

Deus ille, qui profunda
Eritrei Maris vnda
Viam suæ plebi struxit fortem;
Et Ægypti irato Regi,
Armatoque eiusdem gregi
Remollita dedit mortem
Idem animos tibi addat maiores.
Iephte. Summe Deus clade tàm tristi
Ceciderunt inimici;
Aut pugnasti, & Ego vici,
Aut

Aut pugnaui, & tù vicisti.

Nun. Prin. Tibi conglutinata
Iephte est arctè victoria;
Altum sonabis nomen;
Vndè est tubà oculata
Famæ, loquax tua gloria;
Et iuramenta tua duxerunt omen.
Ergo ab Herba, quæ latera Montis
Crispa vestit: descendas: O Aura,
Et egregium sudorem suæ frontis
Linge etiam, exuge, restaura.

Nun. Al. Vrbis Mœnia te canunt; Turres ouant
Nomine Iephte; Illac
Pergas victor, & grates
Collige Ciuium debitas.
Rident Nurus, & Ancillæ,
Rident Pueri, Senes rident;
Spargunt glorias tuas, quas vident
Lœta lachryma, Pupillæ.

Fil. Ieph. Patris honor in filia
Regerminat; Ergò Aurum
Crinis, argentea Lilia
Cingite, ut eius crines ornant Laurum.
Fœlix Nata Patri plaude,
Et è Cymbalo, canoras
Voces, manu trahe foras
Genitoris mota laude.
Fœlix Nata Patri plaude.

Iephte.

Iephte. Heu quid vobis lumina
Videndum est? Profluite
In lachrymarum flumina,
Et filiæ Ideam è pupula diluite.
Lauro ab hostibus tractæ Cupressus
Est inserta à voto victore,
Quam lœtantis meæ prolis incessus
Prœuius, rigat innocuo cruore.
Hei mihi à dulci Gnata
Patris amaritudo
Obuiam fertur: heu heu filiæ lœtitia
Vidui Genitoris est mœstitia:
Deus, qui in visionis, Isaac, colle
A sacra Patris ira
Traxisti; ab alia Patris etiam dira
Pietate, filiam tolle.

Filia Iephte. Si victoria tibi est dura,
Quid iactura
(Pater) foret indè trux?
Sicut numquam licet metus,
Sic non decet modò fletus
Dulcis Pater, victor Dux
Genitor ploret is, cui filia perit.

Iephte. Talis, Iephte (proh Deus) genitor erit:

Fil. Ieph. Ego ne lachrymarum
Origo ergo tuarum?
Siste quæso (ò Pater) gemitus.
Fletus (Genitor) tot cohibe

Ge-

Genas terge ò Classium Rex;
Et extremo suo suspirio
Longas tibi lambat lachrymas
Filiæ propria quamquam Nex.

Iephte. Redeat animus usui: Est tibi, ò Nata
Implendum Patris Votum:
Quod Deo spopondi; morte
Tua, tantùm viuet: Ergo . . . . . .

Filia Iephte. Ergò moriar; nec crudelis,
Immò dulcis est mea sors;
Ne tu flere (Pater) velis
Vita melior mihi est mors.
Genitor tantum rogo,
Vt me Virginem sinas,
Cum sodalibus meis pergere iuga,
Donec Luna binum maculatum compleat orbem
Vna cum eis per Montes plorans ibo.
Alacris indè ad vota tua redibo.

Iephte. Iephte digna vade ò fortis
Verior Fenix pete Montes,
Cedros ibi vult insontes
Immortalitas tuæ mortis.

F I N I S.